



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 24. Castilia parere huic renuit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](#)

## §. XXIV.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1399.*Castella parere Benedicto renuit.*

Interim Castellæ Rex Henricus regni sui Episcopis, Proceribus, Virisque doctis in consilium Compluti adhibitis condidit edictum, in quo stimulati saepius ad cœf-  
sionem Petri Lunii pertinaciam inexpugnabilem, & in Francia denegatam ei obedientiam memorat: tum adjungit: Ut nostrum de discordia Ecclesiæ dolorem, & pacis ei reddendæ studium nemo non intelligat, Benedicto deinceps intra terras nobis obnoxias nec sacris, nec profanis in rebus obtemperandum, eumque neutiquam colendum ut Papam; sed quodvis beneficium vacans per suffragia, & confirmationem, vel a proprio loci Præfule conferendum esse declaramus. Dat-  
bat 12 Dec. 1398. Episcopus Salaman-  
ticensis Didacus Annaya, qui huic con-  
ventui adfuerat, secum abstulit conse-  
ctam ibi sanctionem de agendi modo, do-  
nec Papa unicus daretur, observando.  
Continebat puncta undecim; & Collegio  
Salamanticensi exhibita fuit die Martis  
4 Febr. 1399.

Vigesimo ejusdem mensis Præfules  
Franciæ Parisiis agere concilium a Rege  
Carolo jussi 14 Martii de promissis, quæ  
prima vacaverint, beneficiis statuerunt,  
quod

Rayn. 1398.

n. 25.

Libert. p.

460.

p. 457.

**Sæcul. XIV.** quod sequitur: Ex die negatæ obediens  
**A. C. 1399.** tiæ non habenda fuit, nec in posterum  


---

ducenda erit ratio præmissionum Benedi-  
cti, aut Clementis, vel prioris cuiusquam  
Papæ: sed collationes ab Episcopis, cæ-  
terisque, ad quos pertinebant, ex die illo  
factæ manebunt justæ, ac firmæ: nec ob-  
stabit eis ulla lis, aut reclamatio. Nonis  
Maji Rex edidit patentes litteras, quibus  
omnes Prætores suos jussit hoc præscri-  
ptum per regnum totum exequi.

## §. XXV.

*Benedictus libertatem recepit.*

Interim Benedictus Avenione assidue suo  
inclusus palatio, & tam arcta septus  
custodia tenebatur, ut nemo ingredi, exi-  
re nemo posset. Suppetebant cibaria in  
duos, aut tres annos: sed deerant ligna  
focaria. Denique penum suam in dies  
minui, speratamque manum subsidiariam  
haud venire videns Benedictus ad condi-  
tiones descendit opera Regis Arragonum,  
qui de ipsius liberatione Parisiis per in-  
ternuncium agebat. At Gallorum Rex  
sibi potius mittendos ad illum Legatos  
censuit, qui transirent Avenionem, ac Be-  
nedictum impellerent, ut abiret pontifi-  
catu, cedenteque forsitan, aut mortuo,  
vel exauthorato Bonifacio tertium, qui  
verus esset Papa, eligi pateretur, hoc in  
casu

*Froiss. 4.*  
c. 98.

*Vitæ to. 2.*  
p. 116.